



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 115. Rex nuptiis Aquitanniæ Ducis cum filia Burgundiæ hærede  
obluctatus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. quo potenter fuisset defensus, si S. Quinti oppidum ex Regis sententia Burgundo fuisset restitutum.

## §. CXV.

*Rex nuptiis Aquitannicæ Ducis cum  
Filia Burgundiæ Hærede  
obludatus.*

Induciæ licet religiose servatæ essent, nihilominus Burgundiæ Dux, nec suos belli Præfectos nec selectiores copias sacramento solvebat, & a filiæ suæ nuptiis cum Aquitannicæ Duce minus alienum fovere animum videbatur, quamvis re ipsa potius invitus esset. Verum res jam eo perducta erat, ut Montis Albani Episcopus Romam ablegaretur, qui a Papa obtineret, ut sponsis, cum propinquitatis vinculo ligati essent, legis gratia fieret. Ludovicus rem edoctus, confestim ad Ducem Aquitannicæ Buchagium ablegat, qui eum ab hujusmodi connubii proposito avocare niteretur. Huic Aquitannus non tam verbis, quam acerbis adversus Regem querelis respondit, in hæc etiam verba prorumpens: Rex nullam omnino prætermittit occasionem, qua suam in me invidiam demonstrat: Hanc ob rem Aquitannicæ cum Burgundiæ Duce cæptum negotium perficere decrevit, declarans, se Ludovico XI, quam primum

mum cum Burgundo de Pictaviensi possessione acturus esset, aperte significaturum, quod hæc Provincia omnino Aquitannicæ Præfecturæ, a qua eam Rex avulsisset, denuo esset adjungenda.

Sæcul. XV.

A.C. 1471.

## §. CXVI.

*Pax Regem inter & Burgundum firmata.*

Nihilominus Regem inter & Burgundiam Ducem pax inita, atque utriusque Crotojæ firmata est ea lege, ut Dux omnino ab Aquitannicæ, & Britannicæ Ducum partibus deficeret, ac juramenti religione promitteret, se nunquam eorum consiliis suffragaturum. Rex autem Burgundo spondit, se oppidum S. Quintini, & Ambianum urbem redditurum, nec ullo pacto Nivernensis Comitatus, & Connestabilis, quem totum Burgundi arbitrio relinquebat, studia sectaturum. Horum uterque Burgundicæ Ducis odium in se concitaverat, Nivernensis quidem, eo quod nonnullas urbes, quas Burgundus occupaverat, repeteret, Connestabilis vero, quod Ducem ob Comitatum S. Pauli, & omnes ferme ceteras ejus ditiones sibi tanquam clientelari Domino obstrictum teneri contenderet. Hanc concordiam Regem inter & Burgundum præcipue restituebant, illiusque arti-

Commin. lib.

3. cap. 9.